Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.
Wien, 1800 Seite 1181
Quelle:
Copyright:

Codex.

ſecundum Auguſtinum de fide ad petrum circa medium vbi dicit de malis angelis, quod permanente in eis malo culpe et iniuſte averſionis a deo ſequitur iuſte retributionis dampnacio perpetua. et ſequitur ibidem de bonis angelis. Sicut, inquit, bonos angelos in eternitate ſui beatitudine firmauit. Ad quam nos perducat. qui ſine fine viuit et regnat. Amen.

Editio.

Hoc patet de fide ad petrum circa medium, et ideo poena durat, quia peccatum in eis durat. Vnde dicit: Permanente in eis injuſtæ affectionis malo, permanet in eis juſtæ retributionis damnatio, a qua nos cuſtodire dignetur, qui eſt benedictus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Ceterum neuter putatitium *Auguſtinum* rite citavit. Vide edit. *Maur.* T. VI. *Append. col. 25. n. 33.*

CCCCXCIV.

R. 481 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 148. f. per duas columnas multis vocum compendiis non una manu exaratus, rubroque diſtinctus exhibet I. *Joh. Duns* ſive *Scoti* O. M. Doctoris ἀντονομαστικῶς *Subtilis* jam alias relatum *Scriptum in Librum IV. Sententiarum*, quod incipit: *Samaritanus ille piiſſimus* &c. in hoc tamen Exemplo non plane terminatum eſt.

II. huic ſuccedit *fol.* 105. Inſtitutio bipertita de Confeſſione peccatorum audienda, quae ad calcem *Confeſſionale* dicitur. Init vero: *Simpliciores et minus expertos confeſſores de modo audiendi confeſſiones informare cupiens* &c. Parte priore agit de variis Peccatorum ſpeciebus, poſteriore de variis Hominum conditionibus. De Autore, quod dicam, non habeo, niſi, nec *Antoninum Florent.* nec *Barth. de Chaymis*, nec *Ant. de Butrio*, nec *Andr. de Eſcobar*, ſive *Hiſpanum* eſſe. Quo tempore ſcripſerit, inde colligitur, quod in Praeloquio ad *Summam F. Raimundi*, nempe *de Pennafort* et *Summam Confeſſorum*, quae *Johannis Friburg.* eſt, provocat, quorum hic a. 1314. exceſſit.

III. *fol.* 116. *Informatio Rudium de paupertate Chriſti et Apoſtolorum.* Ita ingreditur: *De paupertate chriſti et apoſtolorum eius quid ſecundum ueritatem euangelicam ſit tenendum, quamuis per doctiſſimos ſacre theologie magiſtros acutiſſime et copioſiſſime ſit tractatum, ac per ſedem apoſtolicam perpetua conſtitutione firmatum, nouorum tamen hereticorum contentioſa proteruia, quos amor excellentie proprie non ad ueritatis agnitionem, ſed ad ſue ſingularitatis defenſionem inſtigat, adhuc non deſinit ſuſcitare in angulis et priuate, quod iam metuit publice predicare. Dogmatizando uidelicet Chriſtum et eius apoſtolos, dum in preſenti*